

05

A

271





IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO PHILOLOGICA
TERTIA

De
**THEOLOGIA
GENTILI**

Ex antiquis nummis eruta & Antiquitate
illustrata, Complectens

DEOS SELECTOS,

Divas Coelo donantes, Semnones, Rusticos,
Miscellaneos; Cum Sacerdotibus.

Quam

P R Æ S I D E

M. BALTHASARE BOEBELIO

Argentoratensi, Fac. Phil. Adjuncto.

Publice ventilandam suscepit

JOHANNES STIEGLERUS

Argentoratensis.

Ad. d. 20. Aprilis horis antemerid. in Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ

TTPIS JOBI WILHELMI FINCELII,

ANNO M DC LIX.

Mon. Baldu

VIRIS

*Amplitudine officiorum, & Reverentia dignitatis
Eminentibus & Conspicuis*

DN. ANDREÆ BRACKENHOFFERO, Consulari, XIIIviro
Magnifico:

DN. DANIELI WENCKERO XV viro Nobilissimo:

DN. BALTHASARI FRIDERICO SALZMANNO: SS.

Theol. Lic. Pastori ad Summum Templum meritissimo:

DN. M. JOHANNI HUBERO, Pastori ad D. Wilhel. fidelissimo:

DN. M. GEORGIO CHRISTANNO, Pastori Ad Div. Nicolai
vigilantissimo.

*Dnis suis Mæcenatibus & Patronis,
Plur: Venerandis, æternam salutem!*

05 A 271
Haud parum Theologiae Studioso conducere arbitrabar, Mæce-
nates Amplissimi, atq; Reverendi, Gentilium Deastrorum, Dea-
rumq; colluviem, variosq; eorum ritus, quibus sacra celebrabant
sua, nosse. Nil eq; magis admirabile, quam Ethnicos tenebris igno-
rantia ita obrutos fuisse, ut præ illis Æternum Lumen, quod toti
mundo conspiciendum se præbuit, neq; viderint, neq; agnoverint: sed
in ejus locum homines, facta, & (quod abominandum) ipsum Dia-
bolum substituerint. Igitur multo felciores nosmet deprædicare
possumus; quippe quibus constat, quisnam sit verus ille DEUS, cui
sacra instituenda, & cui templa erigenda sunt. Pro quibus divinis
beneficiis ingentes Deo debemus gratias, quod tenebras istas igno-
rantia in mentibus nostris discussit. Ne vero audacia arguatis,
quod pro sexcentis Vestr. Ampl: beneficiis exiguum hoc munus
chartaceum porrigere sustinuerim; Nihil enim aliud ad manus e-
rat, quo meam erga Vos gratitudinem innuere potuissem quam
Academicum hoc munus. Quod, rogo, benevole accipiatis, & porro
faveatis, Vestrarum

Dabam VVittebergæ XX.
April. cId DE LIX,

Ampl. & Rev. Dignitatum:
observantissimo

Joh. Stieglero Argent: R.

Dij Selecti.

Argumentum.

Janus. Ejus figura & significatio. Templum. Saturnus ejusq; insignia. Genij qui, quorumve, Locorum, Hominum, seculi. Eorum forma finisq; Penates, Lares, Bacchus, Luna, Tellus, Cybele. Divæ Cælo donantes, Virtus, Honos, Gloria, Nobilitas, Pietas, Fides, Spes, Pudicitia, Concordia, Pax, Quies, Salus, Felicitas, Victoria, Religio, Justitia, Æquitas, Clementia, Indulgentia, Liberalitas, Annona, Providentia, Sanitas, Æternitas, Fortuna, Fœcunditas, Securitas, Libertas, Constantia.

§. I.

Convertimur ad Deos, quos vocant *Selectos*, quorum in mundo cultus præcipue obtinet. Quales sunt. I.

Dij Selecti.

Janus.

Janus. Biceps hic à nummis exhibetur, vel ob prudentiam, qua futura & præterita complectitur; vel beneficium, quod homines ex agresti vitæ genere ad civilius revocarit; vel si physice capiatur, quod sol, qui Janus habebatur, omni sui parte luceat, quibusdam etiam in Jano Noah indigitari videtur, qui mundum ante- & post diluvianum vidit. Illarum facierum altera in nummis apparet imberbis; ratione temporis futuri; barbata altera, propter præteritum. Ex altera nummorum parte ut plurimum extat navis seu prora seu puppis, quibus denotatur necessariorum copia; sicut facie Jani bonarum legum constitutio; juxta Plutarchum. Ad denotandam hanc formam primævam nummorum pueri denarios in sublimem jactantes *Capita aut navia lusu* teste vetustatis exclamabant, notante Macrobio. Templum vel potius Janua ejus in Augusti nummis conspicitur, cum inscriptione. **PACE PR. TERRA MARIQ PARTA JANUM CLUSIT.**

q. Rom. 41.

lib. 1. c. 7. Sat.

Nimirum, Numa auctore, solebant Jani templum habere *fidem pacis & belli*; claudentes, si pace fruebantur; aperientes, si bel-

lum recrudescere. quo fine Augustus exhibuit pacato orbe, Suet. c. 22. in Aug. Marcus Antoninus vero videtur Janum in nummis pinxisse, ut declararet prudentiam Pii, in quo lib. 1. τῶν εἰς ἑαυτὸν laudat τὸ πρῶτον προνοητικὸν καὶ τῶν ἐλαχίστων προδιοικητικὸν providentiam eorum quæ adhuc procul erant, & precedaneam etiam minimorum dispositionem.

Saturno.
Tert. c. 10.
Apol.

§. 2. Saturnus ἀπὸ τῆς ἑρῆς à latendo, juxta quosdam dictus. Hunc in nummis extare veteres voluerunt, quod primus signare nummos docuit. Barbatus est & laureatus capite; ante omnes enim est coronatus, juxta Pherecydem apud Tertull. de cor. mil. c. 7. Culter, ferratus seu falx & tridens in signa ei junguntur, quod Agriculturæ repertor crederetur; & nummum meruit ab Ædilibus, qui frumenro distribuendo prærant. Ejus templo utebantur loco ararii, ibidemq; contractuum monumenta adservabant. Respicentes videlicet ad probitatem temporis saturno regnante. Plutarch. q. Rom. 42.

Genij.

§. 3. De Jove supra dictum. progredimur igitur ad Genios à Gignendo dictos. Est enim Genius DEus cujus in tutela, ut quis natus est, vivit, sive quod, ut generemur, curat; sive quod una gignitur nobiscum sive etiam quod nos genitos suscipit & tuetur. Vide eruditissimum Lindenbrogium in not. ad Censorin. c. 3. d. Nat. die. Alio nomine etiam nuncupantur δαίμονες, quasi δαήμονες scientes; item Deorum famuli, Ministri, Nuncij. Varii erant, ut fertilis est execranda Idololatria. Adscribebantur enim, quantum ex nummis constat, vel hominibus, ut ex superiore descriptione patet; vel locis: Hominibusq; vel singulis, ut Neroni, Poppææ &c. vel pluribus simul, ut Senatui, Exercitui: Vel masculis, qui Joves; vel fæmellis, quæ Junones dicebantur. Habitus horum Geniorum consistit ut plurimum tegumento, quod pubem abscondit: Corona è platani folijs contexta, quæ genialis arbor est; & legitur apud Tibull. Eleg. 2. l. 2.

Nomina.

Varietas.

*Ipse suos adsit Genius visurus honores,
Cui decorant sanctas florea ferta comas.*

Cornu copiarum, fertilitatis Symbolo. Meminit Ammianus Marcell, lib. 25. quod Julianus viderit squalidius

lidius proximi speciem illam Genii publici, quem, cum ad Augustum surgeret culmen, viderat in Galliis, Velato capite cum cornu copiae per aulae tristius incedentem. *Locorum Genij Locorum.* diversa forma & habitu, prout indoles vel status vel consuetudo loci cujusvis ferebat, effingebantur. Loca ista sunt vel Naturalia e. g. Flumina & Regiones : vel artificialia, ut Urbes, municipia, Coloniae. De fluminibus nummi exhibent *Tiberinum* nobilem illum Italiae & Romae fluvium. Septem videtur montibus incumbere ; dextra naviculam, sinistra arundinem tenere. De hoc Virgil. VIII. Aeneid. v. 31.

*Huic DEus ipse loci fluvio Tyberinus amæno,
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus, cum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus & crines umbrosategebat arundo.*

Senili forma & probe barbata fluvii pinguntur, ad denotandam eorum durationem, & arundineti adnascencia. Invocabant in periculis constituti juxta illud Horatii Coclitis in Tiberim desulturi : *Tiberine Pater, Te sancte precor hac arma & hunc militem propitio flumine excipias.* Liv. lib 2. hist. c. 10. Nilus cubans tumulo (qui montes Lunæ, unde oritur, referre videtur) innititur : tenetq; ob fertilitatem, cornucopiae. Adfunt Crocodilus & Hippopotamus bestiae quas alit : & praeter has sphinx, forma Leonis & virginis, quibus signis sol Ingressu suo Nilum vel crescere vel decrecere faciebat, ut putabant. *Rhenus* bicornis in moneta Posthumii apparet, quibus cornibus alii murmur aquarum, alii curvaturam alvei, alii divisionem ejusdem indicari autumant. Innititur cubito clypeo ; sicut *Danubius* lagenæ. Capite est velato, vel propter divinitatem creditam, vel propter occultam originem. *Mesopotamiae* fluviorum *Tigris* & *Euphratis* Genii sub forma feminarum aquis adjacentium. *Melas* fluvii adiacet Caesareæ, arundinetis exornatus.

Regionum, quas nummi depingunt, praecipui sunt Genij *Hispania* à *Carisio* devictæ regionis ; delineatus habitu succincto, cum

cum spicis ob regionis fertilitatem. Dei Hispani caput Cn. Domitius dedit capillis hispidam; mento modice barbato. In Hadriani nummo montibus Pyreneis incubat, tenetq; ramusculum oleagineum; ferax enim est olei. *Gallia Restitua* Genius flexis genibus Gallieno supplicat: qui etiam est Macedoniae & Achajæ situs, nec non Bithyniæ, vel Hispaniæ dextram jungit. *Germania* hastam tenet & clypeum. *Pannonia* vero labarum & præterea laciniam vestimenti stolati: duplicem Hadrianus imaginem pinxit, quia Pannonia superior & Inferior. *Dacia*, tenet lituum, cujus extremitas capite bovino est signata. *Italia* turritus insidet globo sive cælesti sive terreno, tenens cornucopiæ & hastam. Augusto flexis genibus dextram porrigit levaturo.

Africa caput pellis Elephantina exornat; sinistra mamma est nuda; insignia habet scorpionem, caput Leoninum, cornucopiæ, calathum cum spicis aliisque frugibus. Incumbit montibus, forte Tingitanis. Hadriano Restitutori porrigit dextram. Nobilissima ejus Regio *Ægyptus* canistro frugum innititur, sistrumq; tenet, adstante ibi. *Mauritania* genius militari figura cum equo conspicuus.

Asia Genius ab Hadriano cum rostro navis & gubernaculo nec non serpente pingitur, addita imagine *Orientis*, quæ nuda, præter palliolum, quod demissum est tergo, radiis coronata, sinistra tenens globum. *Cappadocia* habitu est succincto, dextra tenens monticulum; quem Cappadoces ut Deum venerabantur. Max. Tyr. dissert. 38. sinistra labarum & pilas; quia vegetalis illa regio, capite coronam muralem sustinens, ob frequentiam habitatorum. *Arabia*, Talari veste indutus, cameo lo, parazonio ramoq; odorifero adjunctis. *Armenia* turritum caput, insignia, pharetra & arcus. *Judæa* Genii forma pusiones.

Inter *Urbium* Genios eminet *Roma*, quæ sæpissime nummis exhibetur, diversis pro conditione status, nominibus: Dicitur enim *Renascentis*, *Felix*, *Æterna*, *Resurgens*, *Victrix*. Cujus
infi.

insignia sunt stola, galea, parazonium, hasta pura, clypeus, victo-
riola, aquila, habitus quoque; militaris, pharetra, trophæa, quæ o-
mnia alludunt ad illud poetæ:

Duo sunt quibus extulit ingens

Roma caput, virtus Belli & sapientia pacis.

Meminit Figrelus quod Roma ad Junonis Argivæ exemplum
fuerit efficta. *Templum ἐξάτυλον.* Situs varius pro conditio-
ne status Romani. *Alexandriæ* caput est turritum, manus spicis
insignis, corpus adjacens calatho frugibus pleno; adjuncta
quoque palma & hederacea corona, cum sit Baccho consecrata.
Sic etiam *Cæsareæ* monti Argæo insidentis caput murali coro-
na est insignitum; manus spicis, corpus stola.

Seculi Genius conspicitur in nummo D. CLOD. Cum
Inscriptione: SÆCULO FECUNDO. Caput est exornatum
corona turrita; dextra caduceo, sinistra rastello; Corpus, ex-
cepta pube, nudum.

Formam Geniorum quod attinet, ea fuit partim hominis
ejusque cum adulti, tum pusionum; cum masculi tum femellæ:
partim Draconis, ut ex infinitis nummis constat: cum crede-
rent Gentiles sub specie serpentium Genios & Deos mortalibus
misceri, juxta illud Sidonii in Panegyri:

Magnus Alexander, nec non Augustus habentur

Concepti serpente Deo.

Scilicet ea est diaboli malitia, ut illud ipsum animal, cujus o-
lim ministerio primos nostros parentes seduxit, & à DEO sibi
cum ipso maledictionem contraxit; hominibus colendum
proponeret & in cœlum ipsum referendum. Tiberio erat in
oblectamentis serpens draco, quem manu sua cibabat. Similiter:
*Apud Delphos virgo prædicendi munus administrat, cœlestem vir-
ginem referens, & draco sub tripode vocem edit, quoniam & inter
stellas draco conspicitur.*

Finis potissimus propter quem tam frequentes in nummis
extant Genii, erat, ut Imperatores seu Principes suos, eorumque
necessitudines venerarentur; vel conditionem temporum in-
digi-

Claud.

Paneg.

Olybr.

Buleng. d.

Imper.

Rom. l. 2.

c. 4. 5.

Seculi.

Forma.

Suet. Tib.

c. 72.

Lucian.

Astrol.

Finis.

digitarent. Quamobrem toties locorum Genios pinxerunt, ut monstrarent, occupatos eos & devictos à Cæsaribus suisq; exercitibus esse: toties Consecrationis meminerunt, ut innuerent Cæsarem in Deorum Indigetum collegium transivisse: toties aras & tripodes, ut rem sacram illis factam esse ostenderent.

Penates.

S. 4. Ad Genios referri possunt *Penates*, quos Sulpicius insidentes scamno rostrato, indutosq; paludamentis, & pilis instructos exhibet: hi cum Lanuvii potissimum colerentur, auctor nummo suam indigitavit patriam. Non licet per angustas pagellas plura de illis referre: vide Lil. Gyrard. Synt. 15. Pier. Valer. lib. 42. hier. Marc. Capell. lib. 2. c. 4. & lib. 18. Topogr. Rom. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 12. Gen. Huc quoq; spectant *Lares*, quos Cælia gens exhibet. Putat a. vulgus vicorum atq; itinerum Deos esse, ex eo quod Greci vicos cognominant *Lauras*. Tertulianus appellat *Lares Comitio* potentes, & domesticos quoq; Deos, quos interdum oppignorare, venditare, demutare, aliquando in cacabulum abjicere solebant. Egregios scilicet Deos! Exemplum recitat Tac. Annal. 1. c. 73. Cum Falanius venditis hortis, statuam Augusti simul mancipasset, eoq; nomine accusaretur, Tiberius respondit: Nec contra religiones fieri, quod effigies ejus, ut alia Numinum simulacra venditionibus hortorum & domuum accedant. Adstant illi domorum vigiles & custodes Canes. Sed indigna res est & potentiam destruens auctoritatemq; humorum custodiam Numinum canum sollicitudinibus credere teste eodem Arnobio. *Lares* illi domestici *Tutela* quoq; nomine veniebant. Sic enim Hieron. in Esai. lib. 16. c. 58. Nullus fuerit locus, qui non Idololatriæ sordibus inquinatus sit in tantum, ut post fores domorū idola ponerent, quos domesticos appellant *Lares*, & tam publice quam privatim animalium suorum sanguinem funderent. Hoc errore & pessima consuetudine multarum provinciarum urbes laborant, ipsa Roma orbis Domina in singulis insulis domibusq; *Tutela* simulacrum cereis venerans & *lucerna*, quam ad Tutitionem isto appellant nomine.

S. 5. Bacchi

§. 5. *Bacchi*, qui & *Liber* dicitur ob varium respectum, vid. *in q. 104.*
 Plutarch. Imago occurrit in gente *Cassia*, capite corona pam- **Bacchus.**
 pinea exornato: mento raso; Sceptro adjecto. Creditur autem
 vini inventor: Tigrimum domitor: hederis & thyrsis cultus.
 Vid. Virg. Eclog. V. Tert. d. spect. c. 23. Apol. c. 11. August. C.
 D. lib. XVIII. c. 12. *Virbia* gens personam aræ impositam pin-
 xit, ad denotandos ludos ab *Ædilibus* *Baccho* institutos: juxta
 illud *Maronis*: *Baccho caper omnibus aris ceditur, & veteres in-*
unt profcena ludi. Olim autem omnes ludi promiscue *Liberalia*
 dicebantur, juxta *Tertullianum*: *Cum promiscue ludi Liberalia*
vocarentur, honorem Liberi Bacchi manifeste sonabant. Libero e-
nim à rusticis primo fiebant, ob beneficium, quod ei adscribunt, pro
demonstrata gratia vini. Mos etiam erat, eodem memorante,
 in publico *Liberalibus* discumbere, *bestiarijs* *suprema* *cœnantibus.*
 Templum tribus suffultum columnis, & acuminatum, in num-
 mis pingitur.

c. 5. d.
 Spect.
 c. 42. A-
 pol.

§. 6. *Luna* cognominatur *Lucifera* in nummo *Juliae Pia:* **Luna.**
 induta est *Stola*, à qua sinuatum linteum caput in modum ar-
 cus ambit: corniculati sideris speciem hinc inde præ sefert:
 juxta illud: *in crant lunaria fronti cornua, cum spicis nitido fulgen-*
tibus auro. *Bigis* equorum vehitur, quorum alter, cum niger sit,
 noctem: alter, cum albus, diem, qua luna conspicitur, indigitat,
Finis est denotare consecrationem, vel imperatricem *sideribus re-*
ceptam esse.

§. 7. *Tellus* à firmitate sua cognominatur *stabilis*: à divini- **Tellus.**
 tate, *Divina*; ab ope quam hominibus fert, *Ops*. Habitu occur-
 rit stolari, succincto: Pedibus & pectore nuda. Dextra tenet *ma-*
stellum, sinistra *aratrum*, cujus figura est in modum crucis, unde
 intelligere possumus, quod scribit *Max. Taurin.* hom. 1. de cru-
 ce & sepul. Domini. *Sed & bonus Agricola*, inquiens, *cum parat*
terra solum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non nisi per signis
crucis id facere conatur: dum enim aratro dentale subjicit, affigit
aures, stivam inserit, figuram crucis imitatur. In aliis nummis ca-
 lathum varii generis frugibus repletum sibi habet adjun-
 ctum.

B

§. 8.

Cybele.

§. 8. *Tellus* alio nomine dicebatur *Cybele*, vel à monte Phrygiæ, ubi colebatur; vel $\delta\pi\omicron\ \tau\epsilon\ \kappa\upsilon\beta\omicron\varsigma$, à cubo; ut stabilitas ejus denotaretur. *Magna* vocatur *Mater*, etiam *Deorum*, quippe qui terræ originem, ut putabant, debebant. *Leones* ei adjunguntur. De quibus vid. Macrobius, in Saturn. c. 23. 19. & quadrigis admoventur, ad denotanda quatuor anni tempora, quæ terram versant. *Tympana*, quod sit rotunda; vel quod invenerit fistulas, lusus, choreas, & usum cymbalorum. *Turrita* est capite; ob urbes, quas sustinet; manu tenet ramusculum, ad denotandam vel fertilitatem; vel quercum, cujus olim glandibus veteres vescebantur; vel pinum, in quam *Atys* amasius ipsius conversus.

§. 9. Ordo jam exposceret, ut de Diis Indigetibus agerem, sed quia nobilissima illa materia peculiarem meretur dissertationem, eo reservavimus; & pergimus jam ad classem *Divarum* propter quas datur ascensus in Cælum; Virtutes nimirum & felicitates cum animi tum corporis, quas cum divina dona crederent ipsi gentiles, pro Diis habebant, & alios earum gratia in numerum referebant Deorum. Imprimis autem crescente assentatione erga Cæsares, novæ subinde Deæ efformabantur, dum quidvis in principibus suis parasiti & adulatores venerabantur. Communiter enim nomen Principis, vel Senatus, vel exercituum, vel populi adjiciebant, ut e. g. diceretur: *Virtus Augusti, Neronis, &c. Honos Galbæ, Titi, &c. Felicitas provinciarum: Consulis seculi, &c.* Sed de singulis in specie.

DIVÆ COELO DONANTES.

Divæ Cælo donantes.

Virtus.

§. 10. *Virtus* vel equo est conspicua, vel erecta stat, vel etiam sedet, armis instructa, hasta, parazonio, pilo, clypeo, palma, corona; habitu quoque militari, & ut plurimum virili; à viro enim vel viribus nomen habet: ætate est vel juvenili, vel senili, prout erat ætas eorum in quibus consecrabatur: nuda interdum cernitur Symbolum ipsius est *Hercules*, cui adscriptum: **VIRTUTII AUGUSTI.** Cornibus tenet taurum, qui unus erat de

de laboribus Herculeis. Ei jungitur *Honos* muliebri forma: *Honos.*
interdum etiam virili. In Alexandri nummo Imperator ex una
parte tenet altera manu orbem; altera hastam, cum inscriptio-
ne ex altera: HONOS ET VIRTUS, quæ duo orbem regunt,
Commune habebant Romæ templum, quod nemo ad solidum
honorem perveniat, nisi per virtutem. Vestes sunt pellucidæ,
quod tenuis res sit honor; Caput nudum; quia est splendida
res & illustris. Insignia habet palmam, cornucopiæ, hastam pu- *Gloria*
ram, globum, lauream coronam. Huc spectat *Gloria*, quam Li-
cinius in nummis dedit: dextra tenet palladium, sinistra laba-
rum; habitus est militaris; caput nonnunquam turritum; ad-
iuncta habet spolia, captivos, rostra, angelum. Non in com- *Nobili-*
mode huc refertur *Nobilitas* in Getæ moneta. Hujus insigne est *tas.*
Palladium, quia nobilitas Romana partim Troja, unde Palla-
dium advectum, oriunda est; partim armis, quibus insigne est
Palladium, eminet.

§. II. Species virtutis sunt: *Justitia*, in Tiberii nummo. *Justitia.*
Caput est exornatum roseo diademate: vel velamine; Corpus
stola; dextra patera; sinistra sceptro vel hasta: insignia habet
fasces. Adjuncta ipsi virtus *Æquitas* stolata & ipsa est, dextra *Æqui-*
tenens lancem seu trutinam, sinistra cornucopiæ, vel ulnam: in *tas.*
quibusdam nummis cincta est, quatenus nescit subjici. In qui-
busdam sedet, ad maturitatem judicii indicandam.

§. 12. *Pietas* velato vel etiam laureato capite insignis ad- *Pietas.*
iunctam habet ciconiam, aram, pateram, capsulam thurife-
ram, cornucopiæ, baculum s. sceptrum, remum, & vasa Pontifi-
calia nec non auguralia; insigne habet illud *Æneæ* factum,
cum patrem ac Palladium Trojanis eriperet flammis. Cogno-
minatur *Pietas* Senatus, Romana, mutua Augg. & Augusta.
Soror ipsius *Religio* in Mercurii imagine adumbratur, qui et- *Religio.*
iam *Pietas* vocatur: dicitur *Religio Augusti* à M. Anton. Philos.
Fidei insignia sunt manus iunctæ; *dextra* enim *in fide porrigitur.*
Plin. l. XI. c. 45. additis spicis & caduceo: milites cum sacer-
dote

dote aræ adstantes, cornix, pavo, turtur, ciconia. Huc spectat *Fidii* simulachrum de quo Fenestella. Dextram occupat quidam habitu pacifico; sinistram mulier, capite laurea corona cincto; in medio extat puer, cujus supra caput legitur *Fidii* simulachrum.

Clemencia

§. 13. *Clementia* caput diademate est exornatum, vel laurea: manus ramusculo oleagineo, vel laureo, quo peccatores expiabantur; vel scipione, pateraq; totum corpus stola; nisi quod interdum seminudum. Templum est ἐξέδουλον, cum Deæ imagine intus sedente. Insignia ipsi sunt disci, quorum unum cum *Moderatione* tenet. Facies plana & integra. Affinis ipsi est *Indulgentia* quæ *fœcunda* & *Pia* cognominatur; vel leoni inequitās; vel supplici manū porrigens: habitu est stolata, vel Imperatoris in modum exornata. Insignia ipsi sunt sceptrum & fulmen: Sunt qui *Uraniam* Carthagenensium Deam eam putent.

Moderatio

Indulgentia

Liberaltas

§. 14. *Liberaltas* & ipsa meruit consecrari, ut videre est in nummis Hadriani potissimum. Hic ad colligendam gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in urbe atq; Italia; in provinciis vero ex reliquiis urgentes summas remisit: ut ex Cassiodoro refert Cuspinianus. Refert autem matronam stolatam; & insignia habet cornucopiæ cum tabella congiaria: frequentissima autem in nummis pinguntur congiaria, dum adstante *Liberaltate*. Imperator pro tribunali seu sella sedet. juxta suggestum stantibus, qui sinu dona accipiunt. Pingitur quoq; Elephas, quos in munere dare Cæsares consueverunt. Affinis ipsi *Annona* cujus insignia: pomum, spicæ, urceolo, cornucopiæ cum papavere, sportula, quæ dabatur accepturis annonam, modius, navis, uncus, qui erat tessera congiaria. Huc quoq; spectat *Munificentia* cognomine *æterna* & *Augusti*: Elephante, qui in munere datus, adstante. Nec immerito huc referimus *pueros alimentitios* & *puellas* in Trajano, Antonino, quibus Augustorum *Liberaltas* prospexit.

Annona

Munificentia

§. 15.

§. 15. *Concordia* corpus stola est totum indutum, erectum; insignia sunt manus junctæ, & tenentes signa militaria, fulmina, vel rostra. Imagines item stolatæ jungentes dextras; vel tenentes altera cornucopiæ, altera victoriolam seu Palladium; vel pateram, vel sceptrum, vel signa militaria, vel clypeum; ad denotandam Concordiæ sanctitatem, utilitatem, & robur. Animalia ipsi sacra sunt columba seu cornix seu turtur, & pavo.

Concordia.

§. 16. *Providentia* corpore est stolata; sceptro vel digito monstrat globum longiq; distantem; eo quod providentia divina suaviter mundum gubernet. Globum quoq; manu tenet, & hastam puram; cornucopiæ, fulmina & caduceum: columnæ cubito sinistro innititur, ad denotandâ firmitatem. Togati jungentes dextras Symbolum ejus exhibent. avis sceptrum rostro tenens, indicat Pii, Imperium gubernantis Ingenium. Huc quoq; trahi potest *Prudentia* cujus Stolata figura columnæ innititur, tenens dextra sceptrum, quo subjecto globo imminet, sinistra cornucopiæ: genibus nonnihil incurvatis. *Sapientiam* consecratam exhibet nummus Constantini.

Providentia.

Prudentia.

Sapientia.

§. 17. *Felicitas*, Provinciarum, Augusti, Consulis, publica, Temporis, seculi, perpetua, Imperatorum, orbis terrarum cognominata, stola est insignis, tenetq; ramum, caduceum, cornucopiæ, duo interdum cum spicis, interdum unum; Caput laurea ambit. Globo est subjectus pedibus, indigitatur imaginibus dextras jungentibus; vel fœmina quæ puerulum sinistro brachio sustinet, adjecto remo & navis rostro: ludunt & inter se genii temporum, cum inscriptione: *Felicitæ tempora*, vel: *Temporum felicitas* intra coronam oleagineam scriptum. Vicina est Felicitati *Salus Augusta, Augustorum, Consulis, Reip. generis humani, Provinciarum, publica*, in quibus Augusta salo imprimis colebatur etiam, Flaminicis institutis. Refert, a. fœminam stola indutam eamq; vel stantem, quasi recuperata salute, vel sedentem; vel scipioni innixam, ut solent paulatim reconvallescentes: crines in nodum contortæ. Insigne ipsius est virgo Lanuvina, sinu pascens draconem: qui

Felicitas.

Salus.

B 3

fibi

Prop. lib.
IV. eleg.
8.

-- sibi admotas à virgine colligit escas,
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt,
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum,
Clamantq; agricolæ: Fertilis annus erit!

Serpens autem saluti sacer, auctore Festo, quod instaretur quotannis positis exuviis, ut & medicamentis egroti mutantur, juxta Ant. Aug. Dialog. 2. insigne quoque est pentagonum.

Fortuna.

Non incommode huc refertur *Fortuna*, quæ dicitur *Augusti*, *Capitolina*, *populi Romani*, *Antias*, *Manens*, *Obsequens*, *Mulieris*, *Aurea*, quam potissimum imperatores colebant; *Redux*: Sic dicta ledet cum clavo navis, & cornu copiarum, tanquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat. Lactant. l. 3. inst. c. 29. Huic reduces ex itineribus vel peregrinis solebant sacrificare. Imago ejusdem lapidibus miliaribus insculpebatur, sicut apparet ex lapide, quem in vinea Rodolphi Pii Cardinalis Carpensis vidit Antonius Aug: Cum inscriptione: *Salvos venire*, & Dio: Ob reditum ejus (Augusti) ac propterea, quæ absens ediderat, multa ac varia in ejus honorem decreta, quorum ille nihil accepit, nisi quod *Fortunæ Reduci* aram consecrari, &c. passus est, lib. 54. Quantopere autem Dea hæc in honore fuerit, videre est ex historia, quam de Galba refert Sveton. in Galb. c. 4. confer Lactant. lib. 3. c. 28. div. instit. insignia ipsius sunt rota, cui innititur, remus, quo quasi omnia regit. Ara. *Forti Fortunæ* nummum dedit Maximinus, Templi ejus meminit Tacit. II. Annal. c. 41.

Fœcunditas.

Ad fortunam spectat *Fœcunditas* quæ felix erat in *Augusta Faustina*, pingitur cum aliquot pusionibus, quos partim portat, partim adstantes habet. Referenda quoque huc *Abundantia* seu *Ubertas* vel *Uberitas* & ipsa ab Augusto cognominata, insidet copiarum cornibus, tenetque hastam, effundit cornu pecuniam. Adramii nummi inscriptum habent: *Copia anguillarum, Tauromenitani: Vini*.

Abundantia.

Victoria.

S. 18. *Victoria* varie cognominatur. Dicitur n. *Augusti*, *Augustorum*, *Beatissimorum Cesarum*, *justa*, *Comes Augusti lata*, *omniis*
Gen.

Gentium, Partbica, Gothica, Æterna. Ut plurimum refert virginē dextra lauream coronam quæ tenet, sinistra vero palmam; & alata est, sicut eam depingit varro lib. IV. ling. Lat. occurrit quoque sine alis, ne avolet: unde cum olim fulminē tactæ alæ essent consumptæ, felicitatis omen erat, juxta illud ex Anthol. Epigr. lib. 4. c. 21.

Ρώμη παμβασίλεια τὸν κλέϑ' ἔπο' ὀλεῖται;

Νίκη γάρ σε Φυγεῖν ἄπτερο' ἔδύναται.

Tac. An.
nal. II. 22.

Adjunguntur ipsi frequenter trophæa, arma & spolia. Solebant enim congeriem armorū struere, superbo interdum titulo: ut ille Germanici: DE BELLATIS INTER RHENUM ALBIMQUE NATIONIBUS EXERCITUM TYBERII CÆSARIS EA MONIMENTA MARTI ET JOVI ET AUGUSTO SACRAVISSE: Captivi, pateræ, malleum, quo suffiguntur trophæa, globus cruce insignis, palma, quæ nescit opprimi. *Notæ* quoque *objecti*, ut dicatur *Hispanica, Francica, &c.* vel pinguntur victarum regionum animalia, e. g. Crocodilus Ægypti palmæ alligatus. Vel genii e. g. Alexandria capite turrito; Cæsareæ monti infidentis: vel plantæ e. g. abies & pinus Germaniæ; vel insignia arma & vestes. e. g. picta Germanorum scuta; cetra & ensis falcatus Hispanorum; Braccæ & tiaræ Parthorum & Armenorum; Sagittæ Dacorum; Struthiocameleli Arabiæ; vel victoriolæ quas offerebant, hinc Cyrill. Proœm. lib. contra Jul. *Dum vobis alii offerunt victoriolas, coronas, gratulatorias voces, & alia, quibus imperatoris potentia honoratur; nostri muneris fuerit. qui divino fungimur sacerdotio; exhibere libros ad divinam potissimum gloriam compositos.* Et potissima inter insignia sunt coronæ, quibus varietas victoriarum indicatur. Sunt enim vel murales, vel civicæ ex quercu, vel rostratæ, vel vallares, exque vel ex auro, vel lauro, vel oleagine, vel gramine, vel baccis; vel myrto, quæ erant ovantium. Præter coronas victoriam notant currus triumphales, & illi, quorum olim in ludis suis Græci utebantur, ut sunt bigæ, trigæ, quadrigæ; in ipso curru eminet Triumphans cum simulachro victoriæ vel alius

lius Dei. Portæ quoq; Triumphales, & columnæ quibus statuae equestres & pedestres impositæ; cum spoliis trunco suffixis, & inscriptione: DE GERMANIS. Juxta illud Maronis:

III. Æ-
neid.

*Ære cavo clypeum magnigestamen Abanthis
Postibus adversis figo, & rem carmine signo:
Æneas hac de Danais victoribus arma.*

Idem declarant Deorum templa, insignia & inscriptiones: ut dicatur e.g. Jupiter victor, defensor, Propugnator; portent paladia, & signa militaria; Martis ultoris, Jovis Feretrii templum: & Imperatorum cognomina e.g. Germanici, Dacici. Et inscriptiones aliæ e.g. SIGNIS PARTHICIS RECEPTIS S. P. Q. R. DE PARTHIS.

Pax:

S. 19. Pax victoriæ filia, cui cognomen est Orbis, Augusta, Augusti, æterna, perpetua: instar virginis est sedentis & alatæ, (ad denotandam ejus sinceritatem constantiam, & inconstantiam interdum) pingitur: tenuis est vestis, velum oculis subductū, ne subjectum serpentem i. e. bellum videat, quos & virga sua

Isid. VIII.
II.

Mercurius dirimere videtur. Bullam de collo dependentem, velut ori admovendam aut sibi ob oculos ponendam præten- dit, quo nihil in pace ficti esse debere denotatur. Bulla enim, ut vult Macrobius, cordis erat figura, & quidem apud Ægyptios, qui judiciis præerant bullam collo suspensam gerebant aurea catena variis ornata gemmis, quam veritatem appellabant, hanc sibi illi ob oculos inter judicandum proponebant. Occo in Claud. S. 4008. tenet quoq; oleaginem quod signum apud Nationes paci præten- ditur. Tert. c. 8. d. Baptif. & caduceum: Cornucopiæ: incendit- que arma ad aram juxta Bellonæ columnam. Templum ἐξάστυ- λον, cum inscriptione: PACI PER P. in quo ara de qua O- vid. i. fast. ipsum nos carmen pacis deduxit ad aram, quod magni- ficentissimum extruxit Vespasianus, sub Commodò deflagran- dum. Item PACI AUG. Augusta vocatur, partim qui benefi- cio Augusti parta, partim qui Augurio consecrata. Neq; enim licuit apud veteres simulachrum quodlibet indifferenter cole- re, sed ea tantum, quæ certis ritibus consecrata essent. Consecratio

erationē vero ratā faciebat avium gestus aliquis gustusve. Fre-
quentissima sunt pacis insignia & Nomina inter nummos Au-
gusti, sub quod noster Princeps Pacis Jesus Christus natus. Inter
alia hieroglyphica est quoque globus, cum duobus ramusculis o-
leagineis sive palmis. Item corona quænea, cum inscriptione:
SALUS GENERIS HUMANI. Paci jungitur *Securitas*,

*Securi-
tas.*

cognominata Perpetua, Augusta, Publica, Reipublicæ, Orbis, P.
R. Simulachrum interdum stola indutum, interdum exutum;
Columnæ interdum innititur: interdum capiti manum ad in-
dicandam quietē admovet, vel imponit: Insignia habet ramum,
coronam, cornucopiæ, sceptrum, aram, facem: *Tranquillitas*

*Tranquil-
litas.*

laureata est, corpore seminudo, tenens remum; Spicam altera
manu: in Maximino hæc extat inscriptio: **VOTUM: RE-
QUIES OPTIMO.** Fanum Quietis Deæ Romæ erat, memo-
rante Liv. l. IV. Aug. C. D. lib. 4. c. 16. *Libertas Publica & Re-
stituta* dicta, videtur in nummis Bruti: insignia habet pugiones,
quibus Cæsar interfectus; & pileum, servitii excussi Symbolū;
Rostra, quæ Tribunorum Pl. erant. Hinc Dio: *ἡ εὐθραπία*
τῶ ἐλευθερίῳ. vestem quā induit imago: quia servi manumissi
candida veste induebantur: Baculum, quo Prætor servos manu-
mittendos percutiebat; Manum quam Prætor extendit, quasi
manumittens.

Libertas.

§. 20. *Æternitas* ab Augusto, Augusta, Imperioque cognomen
sortita, refert virginem; quia est incorrupta. Eamque; seden-
tem, ut firmitatem & majestatem notet; Capite velato, quia æ-
ternitatis latet principium. Manu tenet Solis & Lunæ capita;
Vel globum, cui & insistit, vel phœnicem, cujus

*Æterni-
tas.*

æquatur toti capiti radiata corona.

Phœbei referens verticis alta decus.

Vel sceptrum, vel facem, vel hastam, vel vestis extremitatem,
quam longo firmate trahit ad durationem indigitandam, &
occultam, imò nullam originem, de qua poëta:

*ignota procul, nostraque impervia menti
vix adeunda Deis, annorum squalida mater
immensi spelunca avi &c.*

*Claud. in
Paneg.
Stil.*

C

Est

**Constan-
cia.**

Est inter Symbola ipsius Serpens caudam ore tenens in modum circuli, quod *Tempora vasto suppeditat revocatq; sinu.* Occurrit nomine plurali : *ÆTERNITATIBUS* in nummo Alexandri Severi. Figura muliebri stante erecto corpore : quæ dextra tenet globum ; sinistra columnæ innititur ; sceptrumq; seu jaculum tenet. *Æternitati* analogæ *Constantia* referens personam togatam & sagatam ; utrobiq; en. requiritur. Sedet, vel erecta stat : illud ad denotandum robur ; hoc ad quidvis sustinendum expedite : digito fronti imminet, qui est gestus constanter asseverantium. Adjunguntur ipsi galea & sceptrum. Vid. Quintil. lib. XI.

Spes.

§. 21. *Spes.* Cui cessit cognomen *Augusta, Publica, Augusti, Reipublicæ, perpetua, felicitatis orbis, Consulis, Bona.* Refert juvenulam virginem, summis pedum digitis incedentem, pellucido amictu, & interdum discincto ; hilari vultu, cujus insignia sunt, flosculus vel herba, quam porrigit militibus, quæ videtur esse lili. *Nam corona ex lilijs concinnata, res in spe differunt ac dilatant.* Artem. lib. I. c. 79. Ramusculus, caduceus, Columna, quæ omnia sperantium indolem declarant.

Dij Semnones.

Juventus.

§. 22. Sic dicti hi Dij, juxta Lips. l. 2. antiqq. Lect. c. 18. quasi Semihemones, i. e. Semihomines. Antiqui enim hominem dicebant hemonem. Vid. Ros. Antiquit. Rom. l. 2. c. 19. In his *Juventus* vel *Juventa* habitu occurrit paludato vel prætextato, qui erat habitus adolescentium Romanorum : dextra thus injicit in subjectum foculum, sinistra tenet pateram. Solebant enim excedentes ex ephebis posita barba & coma *Juventæ* Sacrificare. Dicitur & *Juventa Imperii*, cui, parta victoria, ædes ponebāt, Vid. Flor. l. 1. c. 7. Liv. lib. 36. De *Lucina & Moneta* diximus disp.

Adjutrix.

1. in Jun. *Adjutrix* figura seminuda, tenens arcum sinistra.

Dij Rustici.

Pan.

§. 23. Absolutis Deabus, propter quas datur ascensus in Cœlum, progredimur ad Deos Rusticos. In quibus eminet Pan, cujus faciem in nummis quibusdam occurrere putat Gorlæus, sed vapulat ab Ursino, qui pro persona seu larva habet, eo quod collo

lo careat. *Fistula* illi dicata septemq; cannis disparibus com-
pacta notat fertilitatem agrorum: vel patriam Arcadium, unde
Ariminenses oriundi. *Termini* imago inter nummos Augusto
dicatos apparet, corona radiata. Augustus enim Apollinis fi-
lius volebat videri; Collo velato; adjecto fulmine: desinit in
lapidem, ut *Hermathenæ*, quæ vox legitur in nummo Sabinæ
Hadriani, & Varronis. Indicat vel Augusti Symbolum, festina
(ut fulmen) ente ut *Terminus*, qui nolebat Jovi de loco cedere:
vel Augusti fortitudinem, quæ nolebat cedere hosti, sicut *Ter-*
minus Jovi. *Bonus Eventus* pingebatur ob res feliciter gestas;
Si quando nobis prosperi aliquid præter spem nostram & meritum
Deus tribuit, alius adscribit hoc fortunæ, alius Eventui, nemo DEO.
Salv. lib. 7. e. g. à Vespasiano devicta Judæa; legitur quoq; in
familia Scribonia. nuda est imago, & erecto corpore: dextra te-
net pateram, sinistra spicas: adjecta ara. Collocata est sub Ve-
spasiano ejus imago in foro ad puteal, & in Comitio. Templum
ejus restitutum sub Galba. Analogum ipsi est nomen *Boni Fati*,
quod legitur in nummo Valentiniani. *Segetiæ* nomen occurrit
in Saloniana, & imago, quæ stolata stat brachiis expansis, luna
capiti imposita: Comprehenditur templo quatuor columnis
suffulto. *Flora* imaginem servilia dedit, capite floribus & sermo
exornato, quibus *Floralia* indigitantur.

Terminus.

Bonus E-
ventus.

Segetia.

Flora.

Peregrini Dij.

§. 24. Inter Deos quos Romani à Peregrinis, Ægyptiis po-
tissimum acceperāt, est. 1. *Isis*. Cujus nomen Cæcilia indicat lite-
ris initialibus: G. T. A. *Genius Tutelaris Ægypti*. Dextra gerit sistrū,
musicum illud Sacerdotū organum, quo Nili accessus & reces-
sus signantur, vel quod veteres credebant, se æneis vasis & cym-
balis Lunæ Eclipsatæ succurrere, si ea pulsarent; vel ut sonitū
sphæræ lunaris indicarent. Caput est, instar Lunæ, cornutum,
unde & *κεφαλοφόρος* à Plutarcho vocatur: Stola eam ambit, &
fluxa vestis. Denominatur *Faria*, ab Antonino Pio, & infantes
habet Adjunctos, unde & *ΤΙΘΗΝΗ* appellatur & *πανδεχης*,
quod videbatur esse totius humani generis susceptrix & nutrix.
Amasius ipsius *Osiris* in Antonio, qui pro illo voluit haberi, con-

Isis.

Osiris.

Serapis.

*Capell.
lib. 2.
d. nupt.*

Anubis.

secratus est, capite radiato; Solem n. vocabant. Templo imposi-
tum est signum lunæ corniculatæ. *Serapidis* imaginem Rhodii in
Osiride Antonio adulantes, ex altera nummi parte expresse-
runt: capite probe crinito & mento barbato: eminente super
caput modio: in aliis nummis caput est radiatum & cornutum:
addito tridente, cui serpens se circumvolvit. Volunt indicari
hac figuræ varietate, Serapin, quem modius; Ammonem, quæ
cornua; Solem, quem radii; Neptunum, quem tridens; Æscula-
pium, quem serpens indicat, unum idemq; esse numen. Videtur
nummis incisus ideo, quod à Gentibus pro pecuniæ Deo habe-
retur, hinc dictus *δοτήρ ἐάων πλῆτ* Ⓞ, Dis. unde & apud Catul-
lum sollicitè petit meretrix, ut ad fanum Serapidis ducatur, dici-
tur *Comes Augusti, Conservator Aug.* *Anubis* facies collumque
equi est vel canis indagatoris Osiridis potius, reliquum corpus
hominis succincti, dextra tenet sistrum, sinistro caduceum.

Miscellanei Dij.

Feronia.

Horror.

Musa.

Sors.

§. 25. Sunt aliquot Dii, qui ad nullā certā classē possunt re-
ferri, in quib9 est. 1. *Feronia*, capite coronato; & torqve collum
exornate: dicta *ἀνθηφόρ* Ⓞ, *περσεφόνη*, & *φιλοσέφαν* Ⓞ, fanū
ipsi inter Sabinos & sub monte Soracte est. Strab. lib. 5. unde au-
thor nummi indicare voluit se ex Sabinis oriundum. 2. *Horror*
& *Pallor*, quorum illiq; caput capillis est subrigidum juxta illud:
Obstupui, Steteruntq; comæ & vox faucibus hæsit. Hujus sunt de-
missi capilli, oculi laxi, & ad pallorem composita facies. Erexit
his passionibus Hostilius Romanorum Rex templum; unde au-
tor se ab eo oriundum hac monetā indicare voluit. Vid. Lact.
lib. 1. c. 20. div. inst. Aug. C. D. lib. IV. c. 13. 23. VI. 10. Liv. lib. 1. hist.
3. *Musa* in Pomponiæ gentis nummis extant: virgines stola in-
datæ: una cubito columnæ innititur; altera manu tenet citha-
ram; hæc Polyhymniam; ista Uraniam refert. Est quoq; quæ bi-
ceps apparet, cum clava, capite humano grandiore solito: & cū
fistulis duabus. 4. *Sors* in Plætorii extat nummis, capite exorna-
to vittis: Collum est torqve redimitum; humeros, (nec n. ultra
extat,) vestis ambit; ante eā tabula, cū inscriptione SORS. Inq;
altera nummi facie templum, in cujus medio imago nuda ser-
penti-

pentibus circumvoluta. 6. *Hilaritas*, matrona est stolata, dextra tenens ramum oleagineum, sinistra cornucopiæ; dicitur: *Hilaritas temporum, Augusti*; alio nomine *Gaudium*, & quidem *Romanorum*: hastam tenet & coronam; cum subjectis spoliis: habet & subjectos pedibus pueros. Affinis ipsi *Latitia* instar exultæ virginis & coronatæ: declaratur duabus virginibus se mutuo amplectentibus; quarū altera tenet pomum, altera fruges: fertū quoq; qvo læti coronabantur homines, postesq; ædiū sacrarum & privatarum. Indigitatur autem lætitia ob prolem Faustinae: & cognominatur *Latitia publica, temporum, Augusta*. 7. Effigies *Aurora* à L. Plantio est expressa: alata est, & seminuda, eqvis vecta. 8. *Tempora & secula* etiam consecrabantur nummis, unde frequenter legimus: *Seculum Novum, Tempora felicia. Latitia temporum, seculum fœcundum, Latitia & Hilaritas Temporum, felix temporum reparatio. Hora*. adumbrantur per fœminam liberis multis stipatam; item stolatam, cum sero vel ramo oleagineo in manu dextra, hasta pura in sinistra & cornucopiæ: vel per puerulos inter se lusitantes, vel militem, qui tenet labarum; vel phœnicem, qui cœlesti insistit globo. Inventus in Hetruria Janus quatuor capitibus, quatuor anni tempora signare videbatur, de quibus Naso:

*Verg³ novum stabat cinctum florente corona:
Stabat nuda Æstas, & spica sero gerebat:
Stabat & Autumnus calcatis sordidus uvis:
& glacialis Hyems canos kirsuta capillos.*

Sacerdotes.

§. 26. Postquam breviter potiores Deorum Dearumq; exequuti sumus, restat, ut *Sacerdotes* quoq; videamus, in quibus sunt. 1. *Pontifices*. quorum insignia erant: Tutulus, urceolus, securis, apex, simpulum, aspergillum, candelabrum cum corona ex craniis boum, & patellis vittisq;. Hasta & thensa. Hinc Cicero: Te appello, Lentule, cujus sacerdotii sunt: thensa, craticula, præcensio, ludi, libationes &c. velato erant capite, sicut apparet ex Lepidi nummis. Post Pontifices erant 2. *Augures* quorum adjuncta: lituus, urceus, Secespita, patera, tripus, & tripodi *Comites* corvi, securis, pulli. De lituo nota, quod h.l. non ir

Hilaritas

Latitia.

Aurora.

Tempora.

Hora.

2. Metam.

Pontifices.

A.

Flamen.

Salii.

*Septem-
viri.*

*Quinde-
civiri.*

*Citha-
rædi.
Popæ.*

*Sacrifi-
cia.*

ligatur militaris ille, quo liticines utebantur; Sed Sacerdotalis, quæ recurva erat tuba, seu baculus quem adhibebant Augures. Caput est velatum, si cut apparet ex nummo Cæsaris, & descriptione Navii, quæ habetur apud Dion. Halic. lib. 3. c. 13. 3. *Flamines*, quorum *Quirinalis* fit mentio in gente Fabia, tenet apicem & hastam, sedet super clypeo. *Martialis* meminit Posthumia. 4. *Salii*, à Saltando dicti, insignes sunt præter trabeam, apicem, clypeum, & caduceum, Ancilibus quoq; clypeis scil. quorum forma tripliciter simplicem clypeum aliis in longitudinem junctum, refert. 5. *Septemviri Epulorum*. Curabant epulas publicas, quæ quia in lectis sumebantur, hinc Jovem lectulo accumbentem exhibent nummi. Insignis urceolus eundem denotat honorem. 6. *Quindecimviri Sacrorum*: horum insigne sunt Sibyllæ, quarum libros solebant inspicere: & cantharus, nec non delphinus, impositus tripodi, Sibylla n. Apollinis vates, & Delphinus Apollini Sacer. Serv. III Æneid. Cui avis adpicta, cū inscriptione: XV. vir in SACR. FAC. Huc quoq; referri possunt. 7. *Citharædi*, qui ad sacrificia tibiis canebant, ne quid inter sacrificandum infausti audiretur. Longioribus, in honore Phœbi, vestimentis induti. *Popæ* etiam, qui victimas agebant & mactabant: vel thura adferebant. Et *Camilli*, de quibus alibi.

Sacra.

§. 27. Ad Sacra spectant. I. *Sacrificia*. Horum causæ principales & Ministeriales in præcedenti §. sunt recensitæ. Materialis sunt victimæ e. g. boves, qui infulati adducebantur, hirci, hædi; quos cædere solebant vectib; seu malleis, cultrisq; victimariis. thura, quæ in quadratis seu cubicis arculis seu acerris solebant adferre & tripodi seu aræ ferventi injicere: aqua, quæ vel guttu destillabatur; vel aspergillo dispergebatur. vinum, quod simpulo: mola, quam patera libabant. Forma consistit in ipsa actione cum accinentibus citharædis seu tibiicinis bos vel alia victima ad aram sub templo cæditur, ministerio poparum, & adstantibus Sacerdotibus. Stantes enim Sacrificia peragebant, ut eo amplio rem cultum exhiberent: & laurum tenebant, qua putabant se expiationes & lustrationes peracturos. 2. *Vota*. suscipiebantur hæc pro salute imperii, vel principis in bellū euntis & reddebantur devicto hoste, vel certo imperii tempore exacto.

De quibus disputatione sequente.



Emulus in fratrem scandis Duce
fratre cathedram,

Selectosque doces, numina fi-
cta, Deos,

Græca superstitione, foedis damnata tenebris,
Quos commenta sibi & Martia Roma
fuit,

Felices queis falsa licet cognosse; magis sed
Fas quibus est verum rite timere Deum,

Et nugas calcare leves, quas dedita pago
Natio necquicquam numen habere ra-

Ornavit templis, positis sacravit in aris, (ta
Et variis demens ritibus excoluit.

At, STIGLERE, Tui docti vestigia fratris
Persequere, & coeptam currere perge
viam,

Non deerunt fratris vestigia clara secuto
Fraternæ tituli laudis idemque decus.

AUGUSTUS BUCHNERUS

P. P. & Academ. Senior,

ET

ET Te præclaro Stiegler sub fratre videmus
De Romanorum verba parare dijs?
Auditu res grata mihi, res grata parenti,
Est jucunda viris omnibus ista bonis.
Gratulor æternum vobis, o pectora cara,
Sit benè, sic vestro LIPENIO bene erit.

αποσχεδ. scribebat

Utriusq; Praesidis & Respondentis sincerus Amicus
M. MARTINUS LIPENIUS Gortza-Brand, Marchicus
Colleg. Philos. Adjunctus, & Gymnasij Hallensis
vocatus Con-Rector.

VEre novo plantæ virides depromere cristas

Incipiunt, soliq; suos ostendere fructus.

Sic juvenilis ubi tandem maturuit atas,

Frater amice, Tibi, doctrina semina surgunt,

Dum se Leucoreis industria sistit Athenis.

Perge peregrinum sitiens haurire liquorem:

Arca dives erit, studiorum divite Flora!

amoris ergo f.

M. BALTHASAR BOEBELIUS, Argentoratensis

Fac. Phil. Adjunct:

Collegisse juvat pulverem Olympicum

Imberbem juvenem: Fletere equum adhibet

Nunc alter studium gramine nobilem:

Hunc fortis manus ad sidera provehit:

Venatorq; canes excitat, omnia

Perlustrans Jove sub frigidiusculo.

Te, STIEGLERE juvat sternere fortiter

Fluctus tam varios, & vehementia

Argumenta: Bene est: perge, quid accidet?

Sublimi series sydera vertice,

F.

suo suavis. Conterraneo

JER. HOFFMANNUS Argent.


F I N I S.

05 A 271

ULB Halle

3

004 209 842



WNT







Farbkarte #13

B.I.G.

JESU!
OLOGICA
OGIA
LI
 ta & Antiquitate
 lectens
ECTOS,
 nones, Rusticos,
 cerdotibus,
^E
BOEBELIO
 nil. Adjuncto.
n suscepit
IEGLERUS
 nsis.
. in Auditorio Majori.
 GÆ
 MI FINCELII,
 LIX.

Mon. Baldi